A. D. 1925. Nrus XI.

CURRENDA

NOWE GRANICE DIECEZJI TARNOWSKIEJ.

NUNTIATURA APOSTOLICA
POLONIAE

Varsaviae, die XVI Novembre MCMXXV

Nr. 12.032.

Illme ac Revme Domine!

Perhonorificum mihi est Excellentiae Tuae Reverendissimae transmittere executoriale Decretum Bullae: „VIX DUM POLONIAE UNITAS“, qua circumscriptio nova omnium Dioecesum Latini Ritus in Polonia statuta est, pro ea parte, quae Dioecesim Tarnoviensem spectat.

Haec dum cum Excellentia Tua communico pro Tua notitia ac norma, cum prece nuntium quam primum mittendi huic Nuntiaturae receptionis harum litterarum, omni qua par est observantia permaneo

Excellentiae Tuae Reverendissimae

addictissimus uti frater

† LAURENTIUS LAURI
Archiepiscopus Ephesiensis
Nuntius Apostolicus

Excellentissimo Domino
Dno LEONI WAŁĘGA
Episcopo Tarnoviensi
Tarnów

NUNTIATURA APOSTOLICA
POLONIAE

Nr. 12.005.

NOS
LAURENTIUS LAURI

ARCHIEPISCOPUS TIT. EPHESIENSIS
NUNTIUS APOSTOLICUS IN REPUBLICA POLONIA

Quum novam Dioecesum Latinarum Polonarum circumscriptionem, quae magis corresponderet mutatis Poloniae politicis conditionibus novisque spiritualibus fidelium necessitatibus, a Ven. Episcopatu Polono tantopere exoptatam, Summus Pontifex PIUS PP. XI, feliciter regnans, quinto recurrente EJUS Episcopalis Consecrationis faustissimo Anniversario, die XXVIII mensis elapsi, Sua Apostolica Auctoritate, Apostolicis datis sub plumbo Litteris „VIX DUM POLONIAE UNITAS" solemniter decrevisset atque confirmasset, Nobis benigne eas exequendi facta potestate, perlibenti animo mandatis Summi Pontificis obtemperantes et vigore specialium facultatum ad hunc finem Nobis commissarum, DECLARAMUS:

Latini Ritus Hierarchia in Polonia quinque Provinciis Ecclesiasticis constat, videlicet:

I. Gnesnensi et Posnaniensi;
II. Varsaviensi;
III. Vilnensi;
IV. Leopoliensi;
V. Cracoviensi.

Provincia Ecclesiastica Cracoviensis constituitur Cracoviensi Ecclesia Metropolitana, nec non suffraganeis Dioecesibus:

I. Tarnoviensi;
II. Kielcensi;
III. Częstochoviensi;
IV. Katovicensi.

Dioecesi Tarnoviensi, cuius Ecclesia Cathedralis sub titulo Nativitatis Beatae Mariae Virginis in Urbe Tarnów, in palatinatu Kraków, sita est, sequentes tribuuntur Decanatus:

I. Bobovaensis; II. Bochniaensis; III. Brzeskoensis; IV. Czchovensis; V. Dąbrovaensis; VI. Kolbuszovaensis; VII. Limanovaensis; VIII. Łącensis; IX. Mielecensis; X. Neo-Sandecensis; XI. Pilsnoensis; XII. Radłovensis; XIII. Radomyślensis; XIV. Ropczycensis; XV. Tarnoviensis; XVI. Tuchoviensis; XVII. Tymbarkensis (absque paroeciis: Olszówka, Mszana Dolna, Niedźwiedź, Kasina Wielka, et exceptis expositturis: Lubomirz et Kasina Mała); XVIII. Vetero-Sandecensis; XIX. Wielopolensis (excepta paroecia: Pstrągowa); XX. Wojnicensis; XXI. Biecensis; XXII. Rzepnicensis; XXIII. Ołpinensis (excepta paroecia: Święcany);

insuper paroeciae: I. Jodłowa; II. Przeczyca; III. Sędziszów;

et expositura: Będziemyśl.

Quod attinet ad regimen et administrationem Dioeceseos, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad Capitulum Cathedrale, ad Seminariorum institutionem, ad clericorum et fidelium jura et onera aliaque huiusmodi quae sacri canones decernunt serventur.

Quod vero ad clerum in particulari spectat, statim a data ipsa huius DECRETI sacerdotes, illi Ecclesiae adscripti censeantur, in cuius territorio legitime degunt.

Tandem omnia documenta et acta, quae clericos et fideles respiciunt, qui juxta praedicta ad Dioecesim Tarnoviensem amplius non pertinent, ad eam Dioecesim quam primum fieri poterit transmittantur ad quam nunc pertinent.

Haec autem omnia, opportuniori qua putabitur ratione, in notitiam adducantur eorum, quos ipsa respiciunt et quatenus eorumdem interesse possint.

Quorum in fidem has Litteras, sigillo huius Apostolicae Nuntiaturae munitas, manu nostra subscribimus.

Datum Varsaviae, ex Aedibus Nuntiaturae Apostolicae, die undecima mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo quinto

† LAURENTIUS LAURI
Archiepiscopus Ephesiensis
Nuntius Apostolicus

(L. S.)

SAC. CAROLUS CHIARLO
Auditor Nuntiaturae Apae.

Ogłaszając niniejszy dekret delimitacji diecezji Naszej, żegnamy P. T. Duchowieństwo i Wiernych, którzy odchodzą do sąsiednich diecezyj, a dziękując im serdecznie za wszystko dobre, co dla Diecezji Tarnowskiej uczynili, udzielamy tak P. T. Duchowieństwu, jak i Wiernym Pasterskiego Błogosławieństwa.

Zawiadamiamy zarazem, że odtąd we wszystkich sprawach kościelnych należy się zwracać do właściwych Najprzew. Ordynarjuszów.

Wszystkie akta odłączonych parafij odsyłamy do właściwych Kuryj Biskupich.

Z KURJI BISKUPIEJ

W Tarnowie, dnia 20 listopada 1925

† LEON
Biskup

Ks. Roman Sitko
kanclerz

Nakładem Kleru Diecezjalnego — Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie